

Dei pro salute nostra cruciatibus relictam probro ac dedecore affecterunt. Nam si per paucos exceperis, qui ob nominis obscuritatem contemptui habiti fuerunt, vel ob virtutem resistunt (quos Israeli feminis, & radicis loco relinqui oportebat, ut per Spiritus influxiones rursus effloresceret, atque ad vitam revocaretur) omnes tempore obsecuti sunt. Hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii citius, alii serius in eam fraudem inciderunt, atque alii impietatis duces, Antistesque se praeberunt. Alii autem in secundo ordine locati sunt, nempe vel timore percussi, vel questu, atque utilitate subacti, vel blanditiis inescati, vel denique ignorantia circumscripti, quod omnium levissimum est, si tamen id quoque ad eorum, quibus populi cura commissa est, purgationem sufficere videtur. Verum his ignoscatur, qui impiis dogmatibus per ignorantiam assensum praeberunt. Quid autem de aliis dixeris, qui etiam ingenii laudem sibi vindicantes Hereticis tamen potentibus manus dederunt, & cum pietatis personam diuturno tempore tanquam per ludum gessissent, simul ut aliquid apparuit quo convinci, atque coargui possent protinus corruunt.

“(a) Post hoc Mediolanense Concilium aliud celebrarunt Gallicani Catholici Episcopi in loco aliquo incerto forte Tolosæ vel Pictavis, in quo a Saturnini Arelatensis Episcopi, Ursacii & Valentis communionem S. Hilarius se una cum Galliarum Episcopis separavit, indulta ceteris consortibus eorum (nempe Saturnini, Ursacii, & Valentis) respiciendi facultate, si tamen editum à se decretum illud lapsis admittendis placuisset ceteris Episcopis, qui tunc pro Catholica fide exilium tolerabant. Verba hæc sunt Sancti Hilarii in libello adversus Constantium. Datus est ab eodem Concilio supplex libellus ad Constantium pro exilium restitutione, qui sane libellus extat vulgatus in eodem opusculo Sancti Hilarii sub titulo lib. 1. ad Constantium. Neque enim Sancti Hilarii tantum, sed & multorum nomine datus legitur. Pertingit libellus iste usque ad numerum V. ejus opusculi. Vide P. de Prato dissertat. V. in Sulpic. Sever. pag. 239.

Quin & alia plura pro lapsis recipiendis tunc habita fuisse in Gallia, in Hispania & Græcia, erui ego ex Epistola Sancti Athanasii ad Rufinianum lecta in Concilio Nicæno II. Facta est autem (Synodus) & apud comministros nostros, qui Græciam habitant; porro nihilominus & ab his qui in Hispania & Gallia sunt; & quod hic (Concilio Alexandrino) placuit, & ubique; itaut his qui cadunt & prae sunt impietati, ignoscatur quidem, cum penitentiam gesserint, non autem ulterius eis locus detur in clevo.

Dum Concilium Ariminense ab Episcopis Occidentalibus ageretur, Seleuciam Isauriæ Urbem Orientales Episcopi centum & sexaginta conveniunt. Hæc Synodus Seleucensis, cui interfuit Sanctus Hilarius, celebrata est coram Lauritio

Isauriæ Præside & Comite Leona. Novam fidei Formulam Nicænam adversantem Acacium Arianam proposuit, quæ rejecta est a Semi-Arianis, quapropter inter utramque factionem Arianorum & Semi-Arianorum gravis suborta est controversia, quam Comes Leonas cum nullo pacto placare posset, coactus est solvere Concilium, in quo tamen Semi-Ariani superiores fuerunt Arianis. Sed isti apud Imperatorem Constantium conquiescenti, Conciliabulum illius iussu anno 360. habuerunt, in quo quinquaginta Præsules Ariani, qui aderant, fidei Formulam ab Acacio editam, quæ inter Arianas nona ab Athanasio censetur, approbarunt, & deposuerunt, omnique communiione excluderunt Semi-Arianos Episcopos. Tum temporis S. Hilarius videns periclitari fidem, porrexit Constantinopoli libellum Imperatori Constantio & Arianos ad congressionem provocavit, sed eorum consilio ad Sedem Pictaviensem remissus est, quem redeuntem omnino suscipit Gallia quasi de Arianis triumphantem, quos confutat doctissimis scriptis, & sola provocatione terreat.

D. Certe vehementer mirari subit vesaniam Arianorum, qui per omnes Mundi plagas volitabant, ut varias celebrarent Synodos, & diversas procederent fidei Formulas.

M. Id potius adscribendum est vesaniæ Imperatoris Constantii, qui, quamdiu vixit, ad promovendam Arianam Hæresim nihil non molitus est, ut Nicænam fidem variis aboleret Pseudo-Synodis, quæ Gentilium, atque Judæorum ludibrio & quotidianis subannationibus Christi Religionem, Ecclesiamque exponebant. Hinc de Constantio verissime testatur Ethnicus Historicus Ammianus Marcellinus in fin. lib. 21. quod ille Imperator Christianam Religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens, in qua servanda perplexus, quam componenda, excitavit dissidia plurima, quæ progressu fufus aluit concertatione verborum; ut ceteris Antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrerentibus, per Synodos quas appellant, dum ritum omnem ad suum traducere conatur arbitrium, rei vehiculariæ succiderit nervos.

D. Post mortem Constantii Imperatoris celebraverunt ne Ariani Concilia?

M. Mortuo Constantio Imperatore Ariana Hæresis fautore, non ausi sunt Ariani celebrare Concilia, sed potius Orthodoxi Episcopi ab exilio revocati Synodos ad Arianam Hæresim radicibus extirpandam convocarunt. S. Athanasius anno 362. Alexandriam reversus & summa ab Alexandrinis lætitia exceptus Synodum ibi coegit, in qua decretum est, ut Episcopi lapsi in Ecclesiam reciperentur, modo Hæresim Arianam ejurent, & fidem Nicænam profiterentur. Præterea, in hac Alexandrina Synodo definitum est contra Apollinaristas, Verbum Divinum non solum corpus, sed animam & mentem assumpsisse. Postremo, celebris controversia de tribus admittendis in Deo Hypostasibus eliquata & composita fuit.

S. Hi-

S. Hilarius Pictavorum Episcopus in Galliam reversus, nihil antiquius habuit, quam ut multis habitis Synodis refarcirentur damna, quæ Patres Concilii Ariminensis imprudentia lapsi Ecclesiam intulerant. Unde merito S. Hieronymus in Chronico ait: Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiae dolos damnat. Synodus Parisiensis, quam alii anno 360. alii anno 362. celebratam fuisse affirmant, improbavit Episcopos Ariminenses, quod nomen Usæ, seu Substantiæ reticuisset: Damnavit Auxentium Mediolanensem Episcopum, Ursacium, Valentem, & Saturnium, qui primas inter Occidentis Arianos partes tenebant, & juxta avitam Nicænam Synodi fidem definivit, tres esse Sanctissimæ Triadis Personas in unitate ejusdem naturæ & substantiæ. Eandem fidem confirmarunt omnes totius Ægypti Episcopi in Synodo, quam S. Athanasius sub Joviano Imperatore anno 363. convocavit, & Synodus Antiochena eodem anno celebrata. Quin & Semi-Ariani in Synodo Lampacena anno 364. habita damnarunt Anomæos, seu Arianos absolutos, & in ea, sicut & in aliis Synodis Sicula & Tyanaensi anno 365. celebratis Nicænam fidem se profiteri, contestati sunt. Damasus Papa duas Romæ habuit Synodos. Prima coacta est anno 366. adversus Valentem & Ursacium, aliosque Arianos jam damnatos, & de hac Synodo loquitur S. Athanasius in Epistola ad Episcopos Africanos. Secunda Synodus Romana adversus Auxentium indicta est anno 372. De Epocha utriusque Concilii Romani, sicut & Synodi Illyricianæ, in qua consubstantialis Trinitatis fides stabilita est, legendus est Cl. Pagius ad annum 365. & 369. Non solum Romæ, sed & in multis Conciliis per Galliam, & Hispaniam coactis damnatus est Auxentius, teste S. Athanasio in Epistola ad Episcopos. Gratianus Imperator anno 367. III. Non. Aug. Mediolani legem tulit, qua Cætus, seu Conciliabula omnium omnino Hæreticorum prohibuit. Sub eodem Imperatore anno 381. indictum est Concilium Aquilejense, cui interfuerunt Episcopi duo supra triginta, & inter cæteros Sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, Philastrius Brixianus, Valerianus Aquilejensis, & alii Episcopi sanctimonia, & eruditione illustres. In eo damnati sunt duo Episcopi Ariani Palladius, & Secundianus. Acta illius Synodi Aquilejensis supposititia esse putavit Petrus Chiffletius e Soc. Jesu, qui Vigilii Tapfensis libros adversus Arianos scriptos notis illustravit, sed vir Cl. Hermantius lib. 3. cap. 3. fufè probat, Chiffletium hac in re fuisse deceptum, & argumenta, quibus motus est, solide confutat. Denique, imperante Theodosio Magno, Arianismus profligatus, ac pene extinctus est in Concilio Constantinopolitano primo, quod est secundum Œcumenicum Generale.

D. Quo anno celebratum est Concilium Constantinopolitanum primum, & quid in eo actum est?

M. Concilium Constantinopolitanum primum sub Pontificatu Damasi anno 381. & sub Theodosio seniore Imperatore convocatum est, & prout Graveson Hist. Tom. I.

gatum usque ad annum 382. In primis, in hoc Concilio cui interfuerunt centum, & quinquaginta Episcopi, damnatus est Maximus Cynicus, qui Constantinopolitanam Sedem invaserat & Episcopus fuerat ordinatus a Petro Alexandrino Episcopo, qui ad eam Ordinationem peragendam tres Episcopos ex Ægypto misit, uti videre est in Epistola Episcoporum Italiae ad Theodosium Imperatorem, quam Sirmondus post Baronii mortem publicavit, & quæ tom. 2. Conciliorum Generalium pag. 1007. legitur. Baroniū circa illam Maximi Cynici ordinationem deceptum fuisse observant viri eruditi: ait quippe Baronius, Petrum Alexandrinum septem Episcopos Ægypti ad illam Ordinationem perficiendam misisse, citatque hanc in rem Orationem S. Gregorii Nazianzeni in Ægyptiorum adventum. Verum hi, qui hac in Oratione nominantur, non Episcopi erant, sed Laici, seu Nautæ, vel potius Gubernatores Classis Alexandrinæ, qui frumentum ex Ægypto Constantinopolim advexerant. Quo maxime argumento evincitur, eos Episcopos non fuisse; neque enim Episcopali dignitati convenit frumenti adventio. Damnata igitur in hoc Concilio Maximi Cynici Ordinatione, Sedes Constantinopolitana S. Gregorio Nazianzeno fuit confirmata. Secundo, in hoc Concilio profectus est error Macedonii, negantis divinitatem Spiritus Sancti, simulque confixæ sunt reliquæ Hæreses Eunomianorum, seu Anomæorum, Arianorum, Eudoxianorum, Semi-Arianorum, Sabellianorum, Photinianorum & Apollinaristarum. Tertio, cum Meletius Patriarcha Antiochenus sub finem istius Concilii migrasset e vita, ei successus est Flavianus, reclamante licet S. Gregorio Nazianzeno, qui Paulinum unum Antiochiæ esse servandum Episcopum, sicut conditum erat, & Sacramento confirmatum, prudentius censebat, ne Antiochenæ Ecclesiæ Schisma, ut revera factum est, diutius propagaretur. Nihil tamen obtinuit S. Gregorius, immo in ipsum male affecti multi insurrexerunt Episcopi, quæ ubi vidit Sanctus ille Antistes, usurpatis Jonæ Prophætæ vocibus, Episcopatu nuncium sponte remisit, & in ejus locum subrogatus est Nestarius vir ex Senatorio Ordine adhuc Catechumenus, Aulæ, quam Ecclesiæ aptior. Huic Concilio Constantinopolitano non interfuerunt Episcopi Occidentales, quippe qui convenerant Romam, ubi Damasus Papa Concilium convocavit, ad quod etiam acciti sunt Episcopi Orientales, qui tamen accesserunt, moram suam Constantinopoli excusantes, quod ob suarum Ecclesiarum discrimen in Oriente detenti, Romam proficisci haud possent, temporis etiam angustias insuper causati. Agnoscunt tamen Romani Pontificis auctoritatem, qua eos ad suum Concilium jure convocabat, ut legere est in illorum Epistola Synodica.

D. Quo pacto igitur Concilium istud Constantinopolitanum primum dici potest Œcumenicum, cui tamen non interfuerunt Episcopi Occidentales?

M. Concilium istud Constantinopolitanum primum vi folii convocationis fuit dumtaxat

G 3 Ori-

Orientalis Concilium. Evasis tamen postea Œcumenicum, hanc illi dignitatem & auctoritatem Damaso Papa, totaque Occidentali Ecclesia tributibus, & in eandem etiam Orientali Ecclesia fidei expositionem, Hæresumque damnationem conspirantibus. (a)

„ (a) Ballerini fratres in dissertatione prævia ad tom. 3. operum S. Leonis Magni censent Concilium hoc Constantinopolitanum I. ante tempora Concilii Chalcedonensis non tantum apud Latinos, sed neque apud Græcos inter universalia neque admissum, neque approbatum fuisse; idque ex eo ducunt, quod ejus symbolum in Chalcedonensi primum recitatum legatur, cum non extet in Ephesino I. neque apud Patres Græcos, qui Chalcedonense præcesserunt tempore. Nemo etiam in Eutychem autoritatem Constantinopolitani urbis, ex quo tamen hæretico negotium confici potuisset. Insuper Eusebius Dorilæi Episcopus, Eutychem accusator acerrimus, solius Nicænae & Ephesinæ synodi sectatorem se professus est in Synodo Constantinopolitana anni 448., & præterit Constantinopolitanum primum; secundumque inter generalia locum Ephesino tribuit. Eundemque secundum locum Ephesino dedit ipse Eutychem in Pseudosynodo Ephesina. Ex his ergo conficitur Constantinopolitanam œcumenicam Synodum nonnisi post Chalcedonense Concilium inter Œcumenica Concilia sedem obtinuisse. Postquam vero Patres Chalcedonenses symbolum Constant. admiserunt & recitarunt, tunc tandem mos obrinuit, ut inter Œcumenica Constant. I. accenseretur. Attamen hæc vera sunt tantummodo de simbolo, non vero de Canonibus, quos nondum atate sua receptos S. Gregorius epist. 34. lib. 6. restatus est his verbis: *Canonibus vel gesta synodi illius Romana Ecclesia hætenus non habet nec accepit; in hoc autem eandem synodum accepit Romana Ecclesia, quod est contra Macedonium definitum, nempe symbolum fidei.*

D. Edidit ne aliquos Canones Synodus Generalis Constantinopolitana prima?

M. Tres dumtaxat Canones in Concilio Generali Constantinopolitano primo conditos fuisse, post Dionysium Exiguum probabilius censent viri eruditi. In primo Canone statuit Sancta Synodus, ut ea, quæ in Concilio Nicæno a 318. Patribus constituta sunt, fixa, immotaque permaneant, & insuper anathemate percellit Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Sabellianos, Photinianos, Marcellianos, & Apollinaristas. In secundo Canone præcipit Sancta Synodus, ut sua quæque Ecclesiæ servant Privilegia sibi per Canones Nicænos tributa, suasque ita gubernent Ecclesiæ Episcopi, ut non accedant ad alias. In tertio Canone concessus est Episcopo Constantinopolitano secundus post Romanum Pontificem in Ecclesia locus. Sed utrum hoc Canone Patriarchica dignitas, & iurisdiclio in Thraciam Ponticam, Asianamque Diceses Episcopo Constantinopolitano collata fuerit? an secundus tantummodo honoris locus? his adhuc sub Judice est,

de qua necdum convenit inter paritos, quorum hinc inde conjecturas adducere nimis longum esset. Duo hic tantum breviter observabo. Primo, perperam hunc Canonem tertium explodi a Baronio ut commentitium, cum tamen antiqui omnes Codices, & quotquot sunt Collectiones antiquæ, & mediæ, & postremæ ætatis Canonem illum tertium Concilii Constantinopolitani exhibeant, ac præterea, Socrates lib. 5. Hist. Eccl. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 9. & Nicephorus lib. 12. cap. 13. hunc Canonem tertium a Patribus Constantinopolitanis conditum fuisse testentur. Secundo, observare debes, hunc Canonem tertium, qui Episcopo Constantinopolitano adjudicat secundum in Ecclesia locum, & honoris Primatum post Romanum Pontificem, non fuisse ab Ecclesia Romana receptum, ac probatum usque ad tempora Innocentii III. Pontificis Maximi, qui in Concilio Lateranensi IV. Can. 5. Sedem Constantinopolitanam inter Patriarchicas secundo loco numerat, propriamque ei asserit, ac vindicat secundam a Romana Sede dignitatem.

D. Absolvisti ne Historiam omnium Conciliorum, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuere celebrata?

M. Memini me in superiori Colloquio mentionem fecisse Synodi Capuanæ, quæ anno 389. habita provinciam dedit Theophilo Patriarchæ Alexandrino componendi dissidium, quod erat Flavianum inter & Evagrium, qui simul, durante adhuc Schismate, Antiochenam regebant Ecclesiam. In hac etiam Synodo Capuana damnatus est Bonosus Sardicenis Episcopus, qui duos in Christo filios admittebat, æternum unum & temporalem alterum. Asserebat insuper, Deiparam Virginem alios post partum Christi ex carnali Josephi congressu suscepisse liberos. Hos Bonosi errores damnavit quoque Siricius Papa, ut constat ex ejus Epistola ad Anysium & cæteros Episcopos per Illyricum constitutos. Quin & Marius Mercator in Appendice ad contradictionem XII. anathematis Nestoriani asserit, Bonosum fuisse a Damaso Papa prædamnatum. Denique, in Synodo Capuana prohibentur omnes rebaptizationes, reordinationes, & Episcoporum translationes. Consulito hic prætermitto Concilia, quæ contra Donatistas, Priscillianistas, & Messalianos in quarto Ecclesiæ sæculo habita sunt, quippe quæ in superiori Colloquio ea indicasse abunde sufficit.

De Epocha Conciliorum Gangrensis, & Laodicensis, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, nihil certi statui potest. Probabilior mihi videtur conjectura doctissimi Pagii, qui censet Concilium Gangrense fuisse convocatum anno 357. quia est incertum sit, an Osius Cordubensis Episcopus præfuerit huic Concilio, constat tamen illum ei interfuisse. Porro Osius, postquam Arianæ Formulæ fidei subscripsisset, in Hispaniam reversus est anno 358. Necessè igitur est hanc Gangrensem Synodum fuisse congregatam ante annum 358. In hac autem Synodo damnatus est *Eustathius* Sebastenus, qui jam Sede sua

sua Sebastena fuerat depositus in Synodo Cæsariensi ante Gangrensem incerto anno habita, ob multos errores, quos contra matrimonium, contra indicta Ecclesiæ jejunia, esumque carnum, contra cultum Martyrum, & contra alia dogmata, & Ecclesiæ leges temere spargebat. Testatur etiam S. Epiphanius in Hæresim Arianorum, & S. Basilius Epist. LXXIV. Eustathium Sebastenum in Arianæ Hæresis defensione ad obitum usque obstinato animo perseverasse. Viginti Canones præscripsit Synodus Gangrensis, quos universa approbavit, & recepit Ecclesia.

Quantum attinet ad Concilii Laodicæni Epocham, certum est istud Concilium habitum fuisse post Synodum Generalem Nicænam, quidquid contra sentiat Card. Baronius. Primo, quia Canone septimo Concilii Laodicæni damnantur Hæretici Photiniani, qui aliquot annis post Nicænam Synodum emerferunt. Secundo, quia Laodicæna Synodus in antiqua Conciliorum collectione locum suum obtinet post Synodum Antiochenam coactam anno 341. Cl. Pagius ad annum 314. conjicit Concilium Laodicænum habitum fuisse anno Christi 363. Sed doctissimus Petrus de Marca lib. 3. de concordia Sacerdotii & Imperii Epocham Concilii Laodicæni retrahit ad annum 365. Hæc autem Laodicæna Synodus non Laodicæ in Syria, sed Laodicæ in Lydia, seu Phrygia, & quidem Pacatiana, sub qua Lydia, ut præferunt Canones Laodicæni apud Balsamonem, celebrata fuit, condiditque sexaginta Canones, qui ad componendos Christianorum mores, & sancendam disciplinam Ecclesiæ apprime utiles sunt, & ab Ecclesia Catholica recepti. Ultimus illius Concilii Canon continet Indicem librorum sacrorum cum veteris, tum novi Testamenti. His Conciliis in quarto Ecclesiæ sæculo habitis addenda sunt quatuor Africanæ Ecclesiæ Concilia, videlicet Carthaginense primum anno 348. agente & Præsede Grato illius Urbis Episcopo, & in eo ad restaurandam disciplinam Ecclesiæ diro Donatistarum Schismate labefactam conditi sunt quatuordecim Canones. Alterum Concilium Carthaginense inductum est sub Genesio hujus Urbis Episcopo anno 390. & in eo tredecim conditi sunt Canones. Concilium Carthaginense tertium sub Aurelio Carthaginensi Episcopo congregatum est anno 397. & in eo quinquaginta Canonibus sancita est disciplina Ecclesiastica (a). Concilium Carthaginense quartum, cui interfuit S. Augustinus, & præfuit Aurelius Carthaginensis Episcopus, celebratum est anno 398. & in eo quatuor supra centum Canones pro sacrarum Ordinationum ritibus, pro moribus, & vita Episcoporum, Presbyterorum & Clericorum, pro Pœnitentiæ disciplina, pro Catechumenis, pro Viduis & Sanctimonialibus conditi sunt sanctissimi Canones. Card. Baronius existimavit, Concilium Taurinense, in quo contentio inter Arelatensem, & Viennensem Episcopos de Primatu exorta fiduciario decreto sedata est, celebratum fuisse anno 397. quod tamen juxta Cl. Pagium fuit dumtaxat celebratum anno 401. Quapropter, de hoc Taurinensi Con-

cilio opportunius agemus in Historia Conciliorum quinti Ecclesiæ sæculi. Concilii Toletani primi Epocha ab anno 400. removenda non est, ut diserte ostendit Pagius in sua Critica ad annum 405. In hoc Concilio Toletano 1. *Symbosius*, & *Disimius* Episcopi Priscillianam Hæresim, qua antea erant infecti, ejurarunt; & ideo hujus Concilii indulgentia in Sede sua relictæ sunt, suspensa tamen communionem, prius eis non imperienda, quam in Romani, & in Mediolanensis Antistitem communionem recepti per illorum litteras probarentur. In hoc etiam Concilio Toletano 1. conditi sunt viginti Canones pro disciplina Ecclesiastica, sed regula fidei, quæ Canonibus subicitur, condita est in alia Synodo incerto loco celebrata tempore Leonis Magni Papæ, & relictæ postea est in Synodo Bracarensi prima, sicut observat Pagius loco mox a me laudato.

„ (a) Concilium Carthaginense anni 397. huc usque intricatum fuit adeo, ut ad illud explicandum nemo pertigerit. Ballerini fratres in dissert. prævia ad tom. 3. S. Leonis eam provinciam non ante multos annos aggressi sunt opera non infelici. Igitur Ferrando, Concilio sub Bonifacio an. 525. habito, & aliis adjumentis rem aggressi repperunt, breviarium Canonum ab Hipponensi Concilio editorum in ea Synodo lectum & confirmatum fuisse. Sunt autem Canones XXXIX. Præcedit breviarium recitatio symboli Nicæni, sicut & ea omnia, quæ leguntur in Codice Ecclesiæ Africanæ, post Canonem XXXIV. & incipiunt *Cæsareo*, & *Attico &c.* usque ad illa verba: *singula a vestra caritate considerentur*; post quæ dantur litteræ Aurelii & Mizonii.

COLLOQUIUM IV.

De Viris Illustribus, seu de Scriptoribus, qui doctrina, vitæque sanctimonia quantum Ecclesiæ seculum illustrarunt.

D. CUM Christiana Religio in quarto Ecclesiæ sæculo ubique floruerit, nullus dubito quin ea ætas illustrium Virorum, & Scriptorum doctrinæ & sanctitatis fama inclytorum fecerit. Quapropter, rem longe mihi gratissimam feceris, si celebriorum Scriptorum, qui in quarto Ecclesiæ sæculo floruerunt, vitam compendiose describere, eorumque genuina opera ab adulterinis fecernere velis.

M. Certum est, in quarto, sicut & in sequenti Ecclesiæ sæculo, longe plures, quam in aliis ætatibus, viros sanctitate conspicuos, & illustres prodidisse Scriptores, qui doctrinam Catholicæ Ecclesiæ adversus fidei hostes invicto robore propugnarunt, necnon sanctissimas purioris Ethicæ Christianæ regulas nobis in suis doctissimis Operibus scriptas reliquerunt. Ex his aliquos seligam, quos suis nativis depingam coloribus, eorum-